



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Duo Tractatus**

**Moneta, Giampietro**

**Marburg, 1628**

I. Quot sint genera Decimarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63048)

oblat. libel. i. & quinque seqq. Froyl. Maluit simil. tractat. fere per totum.

## SUMMÆ RERUM.

- 1 Genera decimarum quot, & qua sint.
- 2 Quarta Episcopalis, vel potius decima Papalis subrogata est loco decima, quam olim solvebant Levitæ sacerdotibus.
- 3 Oblationes, qua fiunt ad sacrificium quarundam decimarum veteris legis loco, subrogatae sunt.
- 4 Species decimarum quamplures, remissive.
- 5 Decimarum communis est divisio, ut alia sint pradiales, seu reales, alia personales.
- 6 Pradiales, seu reales decima qua sint.
- 7 Personales decima qua sint.
- 8 Venationum, & aucupiorum decima an sint reales, personales, vel mixta, & quid de foetibus animalium. num. seq.
- 9 Mixtarum decimarum species an detur.
- 10 Personales decima etiam nunc debentur. Idem, & multo magis de realibus, & mixtis. nu. i i.

## CAP. III.

## Quotuplex sit Decima.

QUÆRO PRIMO, Quot sint genera decimarum?

Respondeo, quod, ut habetur in c. i. de decim. olim

1 fuerunt in veteri lege † quatuor genera decimarum

Primum earum, quæ solvebantur à populo Levitis de quibus Exod. 22. & 2. Esdr. 10. Et hæc erat decima frugum pars, quam etiam debet solvere populus Christianus, ut infra dicam cap. sequenti. Secundum erat earum, quas Levitæ ex decimis sibi solutis dabant sacerdotibus, de quibus num. 18. Et loco harum subrogata

2 est † quarta, quæ datur Episcopo à presbyteris parochialibus

chialibus, ut resolvit Tyndar. d. tract. nu. 1. & Abb. d. c. 1. de qua habetur, & traditur per Doct. in c. requisisti, vel potius illa decima, quæ aliquando imponitur per summum Pontificem, super beneficiis, ut docet D. Tho. d. q. 87. art. 4. ad 3. Rebuf. d. tract. q. 3. nu. 3. & Covar. d. cap. 17. nu. 3. de quo genere nos hic non agimus in nostro tractatu, de eo autem habetur in clem. fi. de decim. & in extrav. unic. eod. tit. in communi, & utrobique per Doct. de eo autem separatim agemus in postremo cap. quod appendicis loco erit ad hunc, quem instituímus, tractatum. Tertium genus erat decimarum, quas in horreis recondebant & separabat quisque de populo, ut comederet eas, cum iret in templum Hierusalé, accersitis in vestibulo templi sacerdotibus, & Levitis ad convivium Deut. 12. & 14. de quo etiam in can. his ita, 13. q. 1. harum autem loco † subrogatæ sunt illæ oblationes, quæ fiunt ad sacrificium. Quartum genus erat earum decimarum, quæ pauperibus erogabantur, ut haberetur Deuter. 16. & hæc hodie quoque, licet improprie, remanent; debemus enim quod superest dare in elemosynam pauperibus, Luc. 11.

QUÆRO SECUNDO, Quot sint species decimarum?

Respondeo, quod sumēdo primum genus decimarum ex quatuor supradictis, quoniam illi proprie nomen decimarum convenit; omissis etiam aliis † speciebus decimarum, quæ aut in usu non sunt, aut ex personis, quibus solvuntur, aliisque qualitatibus sumtæ constituuntur, de quibus late per Rebuf. d. tract. de decim. q. 3. nu. 14. & multis seqq. & Hostien. in sum. tit. de decim. §. quot sint eius species; potissima, & communis decimarum divisio illa † est, nimirum, in personales, & reales, seu prædiales; quam amplectitur Tynd. d. tract. num. 4. Rebuf. d. q. 3. num. 28. ubi etiam dicit esse communem partitionem; hæc etiam colligitur ex Hispan. d. reg. decim. in princ. ex S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 2. Sor. d. lib. 9. de just. & jur. q. 3. art. 2. Covar. d. c. 17. num. 2. & ex omnibus qui de decimali materia scripserunt.

L

Præ-